

Fines Ecclesiæ dilatandæ sunt, populo acquisitionis per distantias regiones inter acatholicos disperso, non raro longe a templo Dei subveniendum est, fides et mores juvenum qui mixtas scholas frequentant contra vitia et hæreticam labem muniri debent, Christiani falsa libertate gloriantes cohibendi sunt. Indifferentissimo, qui e consuetudine pravorum oritur, oppugnandum est. Ministri altaris a juventute sua, scientia, pietate et morum iunocentia imbuantur; Honor Sacerdotum coram Deo et hominibus augeatur.

Præterea expendendum est utrum suspicari possimus, quod anima etiam una nobis commissa, negligentia incuriæ e nostra, in æternum forte perierit ita ut suspicio talis horrenda omnino tollatur. Oportet ergo ut ministri et Dei Coadjutores inter se consilia conferant ut omnes in Vineam Dei operarii officiis suis religiose fungentes præmio æterno remunerari mereantur.

Ideo hortamur et in quantum opus est mandamus atque præcipimus in Domino, ut ad prædictam Synodum die assignata, conveniant omnes qui de jure vel consuetudine Concilio provinciali interesse debent, et quod Confratres nostri Episcopi, quisque in sua Diocesi, omnes ad quos res spectat admoneant, et illos in Concilium nostrum convenire faciant.

Quod si qui fuerint legitime impediti nobis etiam aperire causam impedimenti tenentur. Ut tamen opus Dei facilius et uberius in Concilio perficiatur, enixe rogamus Confratres nostros Venerabiles Episcopos, ut nobis in succursum venire, monita et suggestiones et etiam formulas decretorum nobis in scriptis ante celebratum Concilium mittere, dignentur. Denique Venerabiles Fratres Vos obsecramus et hortamur in Domino, ut preces publicæ in omnibus Ecclesiis et sacellis Ordinum Religiosorum singulis Dominicis festisque diebus pie fundantur, ut Pater luminum corda roboret et mentes illuminet